



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

que nō uidetur, que speramus futura in aduētū domi-
ni Sed hic ais: quomodo possum abnegare me, ut digne
deo uiuam, ut bonis operibus abundem, ut omnia ista
impleā, cum non sint hęc in hominis potestate? Recte
tu in Christo ergo inuenis, quod in te non habes, mo-
dō ipsum habes per fidem: id quod Paulus hic sic occu-
pat: Qui dedit semetipsum, &c.

Nemo te despiciat.

Id est, sic uiue & doce, ut te nemo iure contemnere
possit. Ne quis hic intelligat cōtra euangelium exem-
plo uindicandum esse qui ipsum contemnat.

CAPVT III.

Pincipibus, potestatibus, & magistratibus pa-
rendum est in omnibus quę non sunt contra de-
um: id est, in quibus tu nō peccas contra sanā cōscien-
tiam, quamuis maxime illi peccent exigendo quę adā.
Sicut Hieremias uoluit, ut se subderent sponte regi
Chaldæorū Iudæi. Placet enim nōnunquā deo per ta-
lia nostra punire peccata. Et quando grauē tyrannis-
dem patienter ferimus, melius habemus, deo ubiq; no-
bis presente, sicut ueterum exempla docent. Sic sine
peccato Christiani obediūt Thurcis. Principes boni,
si alicubi sunt, duplici honore digni sunt: mali uero si
sunt, tamen eis parendum est, nisi contra deum pre-
cipiant. Hic dicendum: Oportet magis obedire deo,

ANNOT. IOANNIS POMERANI
quàm hominibus. Ideoque Paulus subdit, ut ad omne
opus bonum sint parati, &c.

Maledicant.

Siue de principibus, siue de alijs hominibus.

Pugnaces.

Id est, cōtentiosi, siue cōtra principes, siue alios: hoc
est, in primis contra illos, qui per hoc euangelici uo-
lūt uideri, & contendūt contra quosuis, nulla humani-
tate aut mansuetudine, & effundūt protinus, quicquid
habent in corde, & ea que uel nihil ad rem Christi fa-
ciunt, uel talia sunt, à quibus non sit incipiendum: &
hoc faciunt coram hominibus, quibus nondū est euang-
gelium prædicatum. Nihil efficientes, præterquàm
quod illi scādalizati, posthac blasphement doctrinam
euangelicam, &c. Cur non compatimur talibus infir-
mis & peccatoribus, qui ipsi fuimus stulti, inobedi-
tes, errantes? &c. sed nunc bonitate dei, non ex nostra
iustitia per Christum liberati. Cur non sic agimus cum
illis, sicut tunc uolebamus agi nobiscum? Cur non spe-
ramus eandem eis gratiam uenturam, quando deus
uoluerit? quid gloriamur quasi non acceperimus, &c.
Hæc dicit Hic Paulus usq; ad eum locum, Indubitatus
In gallican sermo, &c. Lege in postilla Doctoris Martini in no-
tu.

Et natiuitatis Christi.

Stulti, id est infideles, qui non agnoscunt
Inobedientes, scilicet uerbo dei.

Hæc fuimus, sed libertati sumus bonitate dei. Cur non speramus & alios liberandos dei gratia?

Per lauacrum regenerationis.

Vide ne solū aquā cogites. De baptisate spiritus & ignis loquitur, de quo dixi Esa. 4. & alibi, per qd' baptisma regeneramur, & euadimus nouus homo.

Quem effudit in nos abunde.

Ita ut nihil desit nobis in ulla gratia habentibus Christum. Qui Christi spiritum non habet, non est Christianus. Abunde dat spiritum, dum per spiritum reuelat omnem ueritatem: id est, omnia quæ nostra intersunt ad salutem. Et præterea reliqua dona spiritus dat uel nobis uel fratribus in utilitatem nostram, sicut ad Corin. dicit: Vnicuiq; datur manifestatio. &c.

Effudit per uerbum: alludit ad baptismū, quia quæ humida sunt effundere solemus.

Indubitatus sermo.

Scilicet est is quem dixi.

Vt bonis operibus.

Id est, præeant alijs lucis exemplo. Vide hic in Paulo, quæ bona opera uelit, nempe illa quæ sunt ex fide: ut, inquit, bonis operibus præsent qui crediderūt deo. Et talia bona opera uult quæ sunt honesta & utilia hominibus: & sicut infra dicit, quæ ualeant ad usus

ANNOT. IOANNIS POMERANI
necessarios. Qualia non sunt opera Papistica, sed opera
charitatis in proximum, ad quæ fides, quæ in corde
uiget, sua natura uiget, & sua sponte ea producit, sci-
ens ea quæ facit proximo secundum uerbum dei, deo
placere. Arbor bona non potest esse infrugifera, sed
dabit fructum suum in tempore suo.

Stultas quæstiones.

Vide in epistola ad Timotheum. Doce, inquit, uti-
lia: id est, fidem, & charitatem, & patientiam. Quæ
uero ad contentiones pertinent, etiam si ex sacris lite-
ris uideantur, respue: quæ manifeste non sunt prodita,
libenter ignorare debemus. Contentione & fidem &
charitatem ledimus.

Sectarum authorem.

Id est, qui alias uias sequitur, & sequi docet, quam
sanam doctrinam, & illam unicam fidei iustitiam, nec
monitus sanis Christi uerbis resipiscere uult, iudica
secundum euangelium Matthæi 18. Donec resipiscat
& confundatur, non ut inimicus, &c. 2. ad Thess. 3.
Habet hic hæreticos, id est illos qui uerbum dei con-
temnentes, sectas faciunt, & separant se quasi melio-
res, nec uerbis dei moniti resipiscere uolunt, esse ex-
cōmunicandos, & habendos non Christianos, sed sicut
Ethnicos & publicanos: quales sunt omnes qui euang-
gelium deseruerunt, & perfectiores uias inuenerūt,

IN EPI. PAV. AD TITVM. 119

scitra omne uerbum dei : qui hodie egregiam gratiam
repentes, uocant hereticos eos qui euangelio ad-
herent, & eos occidere tentant, ut ueniat
sanguis Christi & omnium iustorum
occisorum super ipsos. Deus
aperiat corda omnium
eorum, Amen.

FINIS.